DE RECTO SACROSANCTÆ ECCLESIÆ RITV

Circa nostram erga Sanctos venerationem, & deprecationem, & eorum erga nos apud Deum patrocinij prçstationem.

Quæstio prima.

In hunc qui sequitur disposita modum

PER

DOMINICVM TVSCVM

CIVEM REGIENSEM,

Censuræque Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ subiecta, atque commendata vt eius illustrata lumine sanctissimæ consecretur Veritati ad Dei Trini vnius gloriam Amen.

Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1664. Super. permissu.

REVERENDISS. PATRI
F. IO. VINCENTIO
DE PAVLINIS
A GARREXIO,

S. Theol. Magist. Ord. Prædic. Inquisitori Generali Bononiæ, & Domino suo Colendissimo.

DOMINICVS TVSCVS S. P. D.

NE aliquo sine testimonio subiectionis, & obedientiæ meæ erga sacrosanctam Matrem Ecclesiam Catholicam mea ab Vrbe efferrem scripta. Hanc primam quæstiuncularum mearum tractationem Illustriss. & Reuerendiss. Patri Capisucco Sacri Palatij Magistro, & Domino meo Colendiss. humillimè exhibui, quam visam, & approbatam à summa sua imprimendam prouidentia recepi. Verum cum post meum inde recessum quosdam rursus in sacris chartis inuenissem textus expressas eorum quæ à me dicebantur reddentes rationes, per quas non modicum operi meo præbetur lumen. In hoc pro-

pterea transumpto sub pagina vndecima à medio versiculi vndecimi ad decimum quintum vsq; vtraq; addidi, quæ vt facilius legenti occurrant tenuiori charactere conscripsi. Eadem vna cum exemplari transumptum hoc rursus discretissimo Reuerendiss. Paternitatis vestræ iudicio suppono, vt quod magis visum, ac placitum fuerit, fiat, quoniam humillimè semper quantum potui, & possum me, meaq; omnia subieci, & subijcio obedientiæ Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, eiq; me subditum, & obedientem semper Dei æterna exhibui, & exhibebo benignitate, & gratia. Hunc igitur primum quantumuis exiguum, & rudem laboris mei fructum virtutibus, & nomini Reuerendissimæ P. V. ausus sum consecrare, vt subauspicijs, & protectione auctoritatis vestræ in lucem prodiens omnibus vestrà acceptior fiat gratia. Reuerendissima igitur P. V. hilari non dedignetur recipere animo munusculum hoc infinitæ meæ erga Reuerendissimam P. V. deuotionis, & obseruantiæ argumentum leue, quod cum me ipso mancipio vestro enixè deuoueo, consacro, & dico. Val.

PRÆ-

PRÆFATIO.

HEbræi peruicaces diuinam aduersus veritatem, sacrarumquè veros, & incontaminabiles scripturarum sensus Saluatoris, & Domini nostri Iesu Christi non solum aduentum negant, & nomen, sed & duræ compuncti æmulationis stimulo dogmatibus, ritibus, & cæremonijs in Ecclesia Christiana ortodoxè receptis maculas vt imponant, Sanctissimæquè nostræ detrahant religioni: virorum sanctum neminem esse posse constanter affirmant, eosquè apud Deum pro nostris non posse intercedere necessitatibus, nequè orare, nostrasquè ad eos pro huiusmodi intercessionibus damnantes preces idololatriam appellant, vt quam ipsi peruicacissima sunt sectati duritia cordis, in nobis quoquè vigere odij liuore compingant, quibus diaboli fraude non pauci aliquibus adhæsere in partibus, quorum errori, quantum fas est, in Domino occurrere cupientes hæc pauca inter sacras legendum scripturas, ad hanc pertinentia rem obiter collecta in huiusmodi redegimus formam, vt veritati quantum in Domino possumus, cooperaremur, cui si quid egerimus concors, donatori Deo gratiæ reddantur, in aliquo autem si dormitauerimus, priuatis nostris duntaxat ascribimus peccatis, quæ tenebræ cum sint, eorum compeditorum vinculis ita obtenebrant intellectum, vt inter coptanda, & reicienda probè distinguere non valeat. Coram Deo tamen in cuius conspectu stamus, testificamur, quod sicut nostram, sic aliorum desideramus salutem, propter hoc manum ad calamum admouere non sumus veriti sperantes, quod bonum hoc qui cæpit perficiet opus.

NEmo igitur christianorũ virorum quempiam natura, quemadmodum ipse est Deus, *Reg. p. c. 2. n. 2.* Sanctum esse dicit, sed benè à Deo ex gratia sanctificatum sanctum esse, sacræ prout nobis

bis testificantur literæ, christiana rectè affirmat veritate. Nam si Deus ex hominibus aliquos sanctificat, vt ex infinitis ferè sacræ scripturæ potest deprehendi locis, hi etiam, qui ab eo sic sanctificati fuerint, sint sancti, necesse est; alias sequeretur, quod frustra sanctificaret, inutiliter ageret, non faceret, quod dicit, non posset, quod asserit, quæ dicere, sicut impium blasphemum, & hæreticum esset, sic: quod ita fiat, nemo dicat oportet. *Num. c.14. n.35. c.23. n.19. Ios. c.23. n.14. Isa. c.34. n.16. c.45. n.18. & 19. c.50. nu.2. 3. 10. c.10. nu.35. Mat. c.19. nu.26. Marc. c.10. n.27. Luc. c.p. n.27. c.18. n.27.* Quod autem ex hominibus quosdam sanctificet Deus, habetur ex multis scripturæ locis, & præsertim *Exod. c.31. n.13. Leu. c.20. n.8. c.22. n.9. 16. & 32. Eccl. c.11. n.24. c.33. n.12. Ezech. c.20. n.12. c.37. n.28.* Ab eo autem qui sic sãctificati fuerint, sint sancti verè vndique habetur in sacris literis, & in specie, *Leu. c.11. n.44. 45. c.18. n.2. c.20. n.7. & 26. c.21. n.6. Num. c.6. n.5. & 8. Deu. c.7. n.6. Psal. 15. n. 3. 29. n.5. 30. n.24. 31. n.6. 33. n.10. 36. n.28. 49. n.5. 51. n.11. 78. n.2. 82. n.4. 84. n.9. 88. n.6. 8. & 20. 96. n.10. 105. n.16. 115. n. 15. 148. n.14. 149. n.1. 5. 9. 150. n.1. Sap. c.2. n.22. c.3. n.13. c.4. nu. 15. c.5. n.5. c.11. n.2. Eccl. c.39. n.32. c.45. n.4. 14. & 30. c.46. n.15.* Nam & si ex sola diuinę præsentia sanctitatis terra efficitur sancta *Exod. c.3. n.5.*

Vestesque ad sacra illi peragenda sanctæ, & ipsæ fiunt *Leu. c.16. n.4. & 32.* cur non sanctus erit homo ille, quem sanctificauerit Deus? & si per aliorum consortium Sanctorum sanctus quis effici potest *Psal. 17. n. 26.* cur per Christi consortium, qui Sanctus Sanctorum est, *Dan. c.9. n.24. Luc. c.p. n. 35.* quis non Sanctus erit? & si extra etiam qui fidem pereuntes in inferno sepulti sunt, non spontanea quidem, vel salutari, sed à pænis coacta confessione veritatis eos fatentur esse Sanctos, à Deo qui sic sanctificati sunt, sola quoniam vexatio eis, licet importunè, dat intellectum cognoscendi, quod dum erant in via, voluntaria confessione, & sectatione veritatis illam potuissent acerbitatem effugere pænarum, & æterna, quibus in cælis Sancti gaudent, acquirere gaudia, ex qua intempestiua cognitione ille in eis gignitur conscientiæ vermis, pænitudinisquè angor eos in æternum accerrimo corrodens, & dilanians morsu *Sap. c.5. n.3. 5. & 14. Isa. c.28. n. 19. Esd. 4. c. 9. n. 12. Iob. c.21. n. 19.* In fide cur esse qui profiten-

tentur, eos negabant esse Sanctos, si,siue hic ad meritum credentes, siue illic, vt illi ad pœnam non credentes hoc tandem fateantur oportet *Luc. c.4.n.34. Marc. c.p.n.24.* & si Sanctorum Sanctitas ab ipsamet, à propria tanquam causa procedit, & pendet sanctitate Dei. *Leu. c. 11. n. 45.* nonne,causatum qui negat, ad causandum causantis negat virtutem causæ, & omnipotenti huiusmodi tribuenti sanctitatem detrahit potentiæ Dei? & tandem si hoc dixit Deus, cui his aduersantes se credere dicunt, nonne illi contradicentes præuaricatores se constituunt? *Apost. ad Gal. c.2. n.18. Gen. c.2. n.17. c.3. n.4. Mat. c.16. nu. 22. & 23.* Deum enim qui confitetur, omnia etiam eius verba sint vera, confiteatur oportet, quoniam Deus mentiri non potest. *Num. c.23. n.19. Apost. ad Tit. c.1. n.2.* eius autem, quæ apud nos extant, verba omnia in eius sunt registrata libro, sacræ qui est paginæ codex *Isa. c.34. n.16. Ier. c.2. n.31.* qui & agnitio dicitur veritatis, & testamentum Altissimi, vitæquè liber. *Eccl. c. 24. n. 32.* quia ibi diuinæ habemus expressionem veritatis, ac voluntatis, quarum vtraquè vltimum tanquam testamentum morte confirmatum stabilis, & æterna in æternum permanet. *Esd. 3. c.4. n. 28. Psal. 18. n.2. Prou. c. 12. n.19. Reg.p. c.28. n. 17. & 3. c. 24. n. 26. Isa. c.46. n.11.* ex cuius testamenti dispositione æternam consequimur hæreditatem, æternaque vita est, & propter hoc liber etiam dicitur vitæ *Apost. ad Gal. c.3. n. 18. ad Rom. c. 15. n.4.* in quo sic, vt supra registrata, Dei cum sint, ipsa quoque sunt veritas *Isa. d. c.34. n.16. Io. c.3. n.33. c.17. n.17.* & si ergo quoadnos ea vt secundum Dei, illa qui protulit, intelligere valeamus sensus veritatem, declaratione omnino indigeant *Psal. 118. n 130.* iuxta tamen eum,in quem sunt prolata sensum, omnem effugiunt probationem, quia eis nil vlterius ponderis, vel auctoritatis à persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, quam in seipsis habent, adiungi potest: scire ergo sat est, quod à veridico processerint ore Dei, qui mentiatur impossibili est, vt vera illa esse cognoscamus. *Io. c.5. n.34. Num. d.c.23. n.19. Apost. ad Heb. c.6. n.18.* idque ignorare nemo potest *Psal. 18. n.4. Psal. 118. n.160. Eccl. c.24. n 25. 44. & 46. Esd. 3. c.3. n. 38.* illis ideo fidem alia vlla sine demonstratione præstemus oportet, ne Deum illa proferentem mendacio arguere videamur *Io.p. c.5. n.10. Deut. c.18. n.19. Eccl. c.16. n.29. Apost. p. ad Cor. c.p. n.22. & 23. iuncto Io. c.20. n.25. & 27.* nam

illis

illis contradicendo, blaſphemamus *Eccl. c. 4. nu. 30. Act. Apoſt. c. 13. n. 45.* in dubitationem reuocando increduli euadimus *Apoſt. p. ad Cor. c. 6. n. 16. iunct. exod. c. 17. n. 7. Ad Rom. c. 4. n.* 20. quoniam ſermo Domini eſt omni acceptione dignus, & credibilis nimis. *Apoſt. p. ad Tim. c. p. n. 15. c. 4. n. 9. Pſal. 92. n. 5.* ita vt, ſiue ea intelligamus, ſiue non intelligamus, eis noſtrum penitus debeamus ſubijcere intellectum, illa firmiter vlla ſine hæſitatione credentes eſſe vera *Apoſt. 2. ad Cor. c. 10. n. 5. Io. c. 17. n. 17. c. 6. n. 44. 61. 65. 66. 67. & 68.* illa ergo cum per ſe ſint non modo ſufficiens, ſed irrefragabilis veritas, pro noſtrorum ideo probatione aſſumptorum nobis ſat erit illius adduxiſſe auctoritatem, & ſi etiam, non neceſſitate tamen, ſed ad magis diluendas aduerſantium apprehenſiones ad alia quandoque tranſitum fecerimus. De noſtris igitur precibus ad ſanctos viros porrectis, vt pro nobis apud Deum intercedere dignentur, expreſsè in ſacris chartis habetur. *Exod. c. 8. n. 8. & 28. c. 9. n. 27. & 28. c. 10. n. 17. c. 12. n. 32. Num. c. 16. n. 46. Reg. p. c. 15. n. 25. Bar. c. p. n. 13. Iudith. c. 8. n. 29. 31. 32. & 33. Eſther. c. 4. n. 16. Apoſt. ad Rom. c. 15. n. 30. ad Eph. c. 6. n. 18. 19. & 20. p. ad Teſſ. c. 5. n. 25. 2. c. 3. n. p. ad Heb. c. 13. n. 18.*

De noſtra autem à dictis Sanctis ſuſcepta deprecatione, de eorum ad Deum pro nobis effundenda prece, noſtraquè ad eum porrigenda ſupplicatione habetur in ſupradictis, *Exod. c. 8. nu. 9. 10. 11. & 29. c. 9. n. 29. & 30.*

De actuali verò eorundem Sanctorum ad Deum pro nobis effuſione precum habetur *Exod. c. 32. n. 11. 12. 13. 30. 31. & 32. Num. c. 11. n. p. c. 16. n. 47. & 48. c. 21. n. 7. Deut. c. 9. n. 25. 26. 27. & 28. Iudith. c. 9. n. 17. & 18. Sap. c. 18. n. 21.*

De effectiuaquè eorum pro nobis apud eum interceſſione, non ſolum in hoc dum præſenti viuerent ſæculo, *Exod. dd. c. 8. n. 12. 13. & 30. c. 9. n. 33. c. 10. n. 18. 19. c. 32. n. 14. Num. c. 11. nu. 2. c. 16. n. 48. c. 21. n. 9. Deut. c. 9. n. 19. Ioſ. c. 10. n. 12. & 13. Iudith. c. 4. n. 15. Iſa. c. 28. n. 21. Eccl. c. 46. n. 6.*

Nam & Moyſes, Aaron, Samuel, & alij Sancti viri pro populo orauerunt, & exauditi ſunt, *Exod. dd. c. 32. n. 10. 11. 12. 13. 14. 30. 31. & 32. Num. d. c. 16. nu. 47. & 48. Reg. p. c. 7. nu. 9. Sap. c. 18. n. 21.*

Iob quoque pro Eliphaz Themanite, & Socijs orauit, & petitâ obtinuit, *Iob c. 42. n. 8. 9. & 10.*

Elias

Elias pro Vidua, Elisæus pro Sunamitide preces porrexerunt; & exauditi sunt, *Reg. 3. c. 17. n. 20. 21. & 22. & 4. c. 4. n. 28. 30. 33. & 36.*

Sed & etiam post eorum obitum postquam in cœlis recepti sunt *Gen. c. 26. n. 24. Exod. d. c. 32. n. 13. & 14. Reg. 3. c. 11. n. 12. 13. & 32. c. 15. n. 4. & 5. Eccl. c. 44. n. 12. & 13. Isa. c. 37. n. 35. Ier. c. 15. n. 1. 2. Mach. c. 15. n. 12. & 14. Apoc. c. 5. n. 8. c. 8. n. 3. & 4.* nam in terris si pro nobis orare potuerunt, & orarunt, cur non in cælis, si illuc eorum quilibet secum suam afferet gloriam, & honorem? *Isa. c. 60. n. 11. Apoc. c. 21. n. 24.* & si ab hoc sæculo ad cœlum migrantes quasi holocausti hostiam accepit illos, propter quod apud illum in tempore erit respectus illorum *Sap. c. 3. n. 6. c. 4. n. 15. Isa. c. 65. n. 8. & 9.* cur per illorum innocentes manus sibi supplicantium oblatas recusabit preces, si eis & promisit: quod aures eius essent pronæ in preces illorum. *Psal. 33. n. 16.* etsi orationes in hoc adhuc constitutorum sæculo, vbi superior gradus gratiæ, & sanctitatis ad inferiorem illorum, qui iam in cœlis recepti sunt non peruenit. *Mat. c. 11. n. 11. Luc. c. 7. nu. 28.* in eius conspectu ita pretiosæ, & efficaces sunt, vt eius quodamodo valeant obsistere furori, & illius nobis conciliare gratiam, & amorem *Exod. d. c. 32. n. 10. & 11. Sap. d. c. 18. n. 21. Eccl. c. 16. n. 12. Ier. c. 7. n. 16. c. 14. n. 11. & 12. c. 18. n. 20. Ezech. c. 14. n. 14. 16. & 20. c. 22. n. 30.* cur illuc non eiusdem, vel maioris etiam erunt virtutis, & efficaciæ pro eorum maioritate gratiæ sublimitatis, & gloriæ, vt omnium in omnibus æqualitas seruetur rerũ? vt nobis manifestissimè patet Eliç fuisse preces à Deo ab hoc iam sublati mundo sui pro Elisæo intercedentis conduplicationem spiritus *Reg. 4. c. 2. n. 10. 11. 12. & 15.* de Moyse, & Samuele *Ier. c. 15. n. 1.* de Noe, Daniele, & Iob *Ezech. c. 14. n. 14. 16. 18. & 20.*

Neque verum est, quod per huiusmodi Sanctis à nobis effusas preces Deo nostras vt velint porrigere supplicationes, ac de aliqua apud eum pro nobis intercedere gratia (vt illi falsò asserunt) idololatremus, quia, vt quem quis orando latriæ ei cultum præstitisse, & consequenter idololatrasse dicatur, eum non vti conseruum suum, apud communem Dominum, & Deum sua vt sibi patrocinia præstet, sed vt suum verum Dominum, & Deum fuerit deprecatus oportet, Deo, vel eum parem faciens deorum

quasi pluralitatem constituens diuinæ eius derogauerit vnitati: Deoue quod soli conuenit ei tribuens: verumue, qui est negans esse Deum ab eo rebellans apostatauerit, vt vecordes Hebræi sæpissimè fecerunt *Exod. c. 32. n. 1 4. 5. 6. & 8. Num. c. 25. n. 2. & 3. Psal. 105. n. 19. 20. 28. 36. & 39. Sap. c. 12. nu. 13. Isa. c. 44. n. 17. Ier. c. 2. n. 27. c. 7. n. 18. c. 19. n. 5. Ezech. c. 20. n. 31. & vbiq; passim per vniuersum scripturam*, quia non sanctitatis communicabile, sed Dei incommunicabile nomen creaturę ascriptum: non simplex venerationis actus creaturę præstitus, sed venerantis intentio ipsam pro Deo venerandi creaturam formales sunt idololatriæ causæ *Leu. c. 11. nu. 44. Apost. ad Colos. c. p. nu. 2. Sap. c. 14. n. 17. 20. & 21. Exod. d. c. 32. n. 8. Gen. c. 33. n. 7. Reg. p. c. 25. n. 23.* Sancti autem alicuius qui implorat patrocinium, Deum vt pro se interpellet, & oret: per hoc Sanctũ illum non Deum, Deoue parem dicto, vel facto affirmat, vel esse profitetur, sed inter vtrumque probe distinguens: illum supplicem; & seruum: hunc Dominum, & Deum suum esse manifestat, & asserit: illi nec quidquam, quod soli Deo competat, attribuit, id vt illi arrogando à Deo detraxisse dicatur, sed illi tantumodo Deo nullo valentia competere modo tribuens, quod debet, & conuenit, adimplet, & facit. Tantum enim abest, vt eo, quo Sanctos deprecamur, illos deprecantes modo a Deo aliquid detrahentes erremus, vt eodẽ si modo Deummet deprecaremur, errando improbi probè, blasphemi rectè, & idololatræ veraces constitueremur. Nam quem quis sibi, ab aliquo vt pro se gratiam petat, & interpellet, intercessorem quærit, ex antecedentibus necessarijs petitionis illius duo hęc resultantia supponit: alterum quidem, quod is, quem ad impetrandam gratiam sibi intercessorem elegit eo, sit inferior, à quo huiusmodi est ab intercessore petenda gratia, alterum autem, quod petenda gratia non in intercessoris petentis, sed eius, à quo ab intercessore est petenda, consistat potestate. Deum ergo, si quemadmodum Sanctos facimus, deprecaremur, vt gratiam in supplicationibus nostris insertam intercedere, & pro ea ad nostrum obtinenda fauorem exorare vellet: quis non videt, quod eum ad obtinendas petitiones nostras supplicem constituentes, minorem consequenter etiam eo faceremus, apud quem pro nobis intercessurus esset: postulatorem verò eum constituentes gratiæ alium pro eo illius auctorem, & datorem facientes blasphemi, improbi,
rebel-

rebelles, & idololatræ fieremus? Si ergo eo modo, quo Sanctos oramus, Deum orantes erraremus, quoniam peruersa hæc est orandi via: conuerso modo Sanctos, Deum vt pro nobis orent, ab eoquè velut datore gratiæ gratiam petant deprecantes, recta orantes methodo non erremus consequens est, quia hac forma incorruptam seruantes veritatis integritatem, supernarumquè simetriam rerum Deum, prout est confitentes: prout decet, (quantum tamen humana nostra patitur imbecillitas) venerantes non idololatremus, eum, sed rectè colamus, adoremus, & glorificemus, oportet. Dicas, precor, aulicum si quis Cæsaris oret consiliarium, suas ad eundem vt Cæsarem porrigat supplicationes, & pro eo de inserta apud illum intercedat gratia: Is autem eas susceptas Cesareæ præsentās Maiestati procliente suo supplex interpellet, & gratiam obtineat: quid propter hoc Inuictissimo Imperatori, eiusue imperiali detrahitur dignitati? nihil certè, quia vterque ei se se subditum, & seruum esse manifestat, & dicit: eum vti Imperatorem vterque rogat, ab eoquè vterque gratiam recognoscens ei gratias agit, habet, & conseruat, Dominumquè suum esse dicit, obseruat & colit. In simili cur sine causa dicemur detraxisse Deo, ab eoue apostatantes idololatrasse, si eum actu deprecari nos indignos esse confitentes in humilitate nostra conseruum nostrū nostri, & multò maiorem, ei, & cariorem, dono, & gratia proximiorem, nostras ei qui porrigat supplicationes, & pro nobis oret, adhibuerimus? odit ne forsan Deus humilitatem, vel confessionem humiliationis seruorum suorum? *Iudith c.6.n.15. Mat.c.18. n.4. Luc.c.7.n.7.c.18.n.13. & 14. Eccl.c.3.n 20. & 21.c.7.n.19.* Aut suorum in nos detestabitur charitatem sanctorum, quos ad eius, sicut & nos voluit esse similitudinem? *Gen. c. p. n. 26. c.9. n.6. Sap.c.12.n.19. Io.p.c.p.n.5. & 6.c.2.n.29.c.3.n.7.c.4.n.7. 8.12.16.*

Nonne scriptum est: *quod Deus & in seruis suis deprecabitur, & deprecabilis erit super seruos suos Psal.134.n.14. & Psal. 89.n.13.* si ita quodnam committimus delictum, si vt Deum pro nobis deprecentur Sanctos oramus, & ipsi in ea, quam in Deo possident, charitate perfecta pro nobis illum deprecari non verentur, vt & ille in ipsismet tamquam suis deprecetur seruis, & super nos eorum prece fiat deprecabilis seruos suos? Nonne sic verè in seruis suis, idest suorum ministerio, & prece deprecabitur seruorum, vt

 de-

deprecabilis fiat super nos seruos suos illum deprecantes per Sanctos seruos suos? Nam si per alium qui facit ipsemet fecisse dicitur *Ier. c. 42. n. 9. Io. c. 19. n. p. c. qui per alium de reg. iu. in 6.* cur per Sanctos Deum qui orauerit, non ipsemet potius illum orasse, quam idololatrasse dicetur? & si Sanctos qui deprecatur, sanctissimam illam, quæ in eis est, inuocat charitatem veram, qua omnes vnum in Christo sumus, cur non potius Deum, qui illa, quæ in eis est, est charitas: vel Christum, corporis cuius ipse caput, nos autem omnes ministrantia ei membra sumus: ipsi vel nos, qui pro nobis orante illum de membro membra sumus, orasse, & inuocasse, quam idololatrasse dicemur? *Io. c. 17. n. 26. & eiusdem p. c. 2. n. 5. c. 3. n. 24. c. 4. n. 8. & 16. Apost. p. ad Cor. c. 6. n. 15. c. 12. n. 13. & 27. ad Gal. c. 3. n. 28. ad Eph. c. 4. n. 4. & 5. c. 5. n. 23. & 30.*

Huiusmodi præterea deprecatio si, vt prædicti asserunt, esset idololatriæ actus, diuinus cum honor natura sit incommunicabilis creaturis, soli sed creatori Deo, & Domino nostro debeatur, conueniens, & proportionabilis sit *Esther. c. 13. n. 14. Apost. p. ad Tim. c. 1. n. 17.* eius propter hoc Zelator, & æmulator existens dixerit: *Honorem, laudemquè meam nemini dabo Isa. c. 42. n. 8. c. 48. n. 11. Exod. c. 20. n. 5. Deut. c. 4. n. 24. c. 5. n. 9. c. 6. n. 15. Ios. c. 24. n. 19.* huic autem cum per idololatriæ actum non solum derogetur, sed ei tamquam exaduerso contrarium penitus oppugnetur, tam graue vtique malum in libertatem non dimisisset populi, *quia vltra quod non lætatur in perditione viuorum Sap. c. p. n. 13.* ea etiam per quæ in hunc posset populus induci errorem, *omnia accuratissimè, ac diligentissimè probibuit, itaut eorum nec voluerit inter eos haberi memoria Exod. c. 23. n. 33. c. 34. à n. 12. ad 17. Deut. c. 4. n. 16. & 19. c. 7. n. 2. 3. 4. & 5.* multò sic minus illius eis permisisset vsum, & operationem, *quia nemini vnquam dedit occasionem, vel spatium peccandi Eccl. c. 15. n. 22. Iac. c. p. n. 13.* & adhuc multò etiam minus illam opere compleri mandasset, *quia nulli mandauit impiè agere, quoniam non Deus est volens iniquitatem Eccl. d. c. 15. n. 21. Psal. 5. n. 5. & Psal. 44 n. 8. Ezech. c. 22. n. 30.* Eam nec qui operati essent, in quosue esset operata exaudisset, vel exaudiret; *quoniam peccatores non exaudit Deus, eis nec assistit, qui impiè agunt, honorique suo detrahunt Exod. c. 23. n. 7. Psal. 5. n. 5. 6. & 7. Psal. 49. n. 16. vsque ad finem Psal. 65. n. 18. Prou. c. 15. n. 29. c. 28. n. 9. Iudith. c. 5. n. 21. Io. c. 9. n. 31. Sed odio simul habet idola, & qui*

& qui deprecatur illa Sap.c. 14.n.8.9.& 10. Ier.c.7.n. 18.& 20. Apost.2.ad Cor.c.6.n.15.

Attamen, vt latè videri potest in supracitatis locis, in quibus de oratione facta est mentio: Sanctos non solum deprecari permisit, sed & iussit, & illorum exaudiuit preces, deprecantes amauit, & illorum ei grata, & accepta fuit pietas: non ergo idololatria, sed reciprocæ sit actus charitatis, consequens est *Iac.c.5.n.16. Apost.2. ad Thess.c.p.n.11. ad Eph.c.6.n.18.& 19.*

Neque per prefatos in contrariam adducta partem penitus obstant; Nam in cœlis qui sunt quod ea, in terris quæ à nobis fiunt videre, & audire non valeant, & nostrarum consequenter nullam habeant, habereue valeant precũ notitiam, ex quo concludenter deducant, non planè cõstat. Nam si Elisæus hac adhuc vestitus carne mortali à syro procul rege ea, quæ in eius conclaui interse, ac consiliarios suos secretò decernebantur, in Spiritus Sancti, in ipso existentis lumine conspexit, & Giezi seruum eius post currum Naaman Syri currentẽ, ab eoque talenta duo argenti, mutatoriasquè duplices accipientem vestes, & in quẽ vsum ea impendere vellet, plenè perspexit, *Reg.4.c.6.n.12.& c.5.n.20.& sequentibus vsq; ad finem cap.* cur ab hoc non solum cæco qui sunt soluti carcere carnis, ac obscura caligine mundi, à quibus eorum grauabatur intuitus, *Sap.c.9.n.15.* sed & in cœlis constituti vbi Dei claritas, eorum est sempiternum lumen, in cuius conspiciunt acie. *Psal.35.n.10. Isa.d.c.60.n.19. Bar.c.6.n.20. Apoc.d.c.21.n.23.* quæ à se procul, ac in terris constituta sunt, videre non poterunt? Et si eius post mortem audiuit non solum verba vocantis, sed & quæ in hoc seculo fiebant, ac ibique euentura erant vidit Samuel, & ad Saul ea scire quærentem retulit *Reg.p.c.28.n.17.18.& 19.* nostras cur Sancti non audient preces, eas humili vt Deo commendent deprecatione, siquæ ab homine videri non possunt, ibi clarissimè vident? *Apost.1.ad Cor.c.13.n.12.* Et si in cœlo qui sunt, eorum, in inferno qui cruciantur, ad satietatem tormenta videbunt, eiusmodi quamquam notitia neutri eorum quidquam conferat *Isa.c.66.n.24. Sap.c.5.n.5.& 14. c.16.n.11. Luc.c.16.n.23.& sequentibus vsque ad finem cap.* cur nostras, ab ijs qui non tam procul constituti sumus, nec tot obruti impedimentis. *Luc.d.c.16. n.26. Iob c.28.n.4.* non videbunt necessitates, vel audient deprecationes, per quas, quam possident, possunt exercere charitatem,

&illo-

& illorum nos vice versa sentire iuuamen? Huic neque obstat, quod dæmones, damnatorumque animæ è conuerso eos, eaque, in cœlis quæ sunt, non videant, quia diuersa in ipsis viget ratio, primo, quia Dominus in eorum pænam peccatorum, ac in eius Diuinæ vltionem iræ perditioni illorum operimentum posuit, sub cuius tegminis opacitate detenti cœlestem illam nequeunt intueri lucem *Iob c.26. n.6.* secundò quia peccati eius natura cum sit tenebra *Io. c.3. n.19.* in ea inuoluti qui sunt, æternum illud nequeunt vnquã conspicere lumen. *Psal.* 48. *n.*20. tertiò quia in illã diuinæ visionis lucem, in qua substantia gloriæ Sanctorum consistit, ne quidquam, quod coinquinatum sit incurrere potest *Sap.c.7. n.25. Io. c.p. n.5. Apoc. c.21. n. 23. & 27. quarto quia hoc prohibet immutabile decretum damnationis illorum Isa. c.47. n. 5. Mat. c. 8. n.12. c.13. n.42. c.22. n.13. c.25. n.30. & 46.* qua inter eos vigente rationum diuersitate non mirum videri debet, si quæ Sancti conspicere valent, nequeant damnati.

Et si Deus militantem Ecclesiam, cuius nos membra sumus, in eius semper descriptam tenet manibus non figurarum lineamentis, sed tanquam in viuenti conspicienda speculo substantialiter repræsentata. *Isa. c.49. n. 16. Apoc. c. p. n. 20. Psal. 38. n.8.* illius cur membra ibi distinctè repræsentata in lumine Dei in Deo videre non poterunt, *si eum in cælo vident sicut ab eo visi sunt? Apost. p. ad Cor. c.13. n.12.*

Et si beati cælestis illius patria vbicunque siue in cælo, siue in terrã sint, Dei faciem vident, quæ est eis, vt dictum est, in lucem sempiternam Isa. c.60. n.19. Mat. c.18. n.10. Apost. p. ad Cor. d. c.13. n.12. Apoc. c.21. n.23. & 24. c.22. n.5. cur nos quoque, in quibus inest Deus, quem ipsi perpetuò vident, orantes videre non poterunt? *Apost. p. ad Cor. c.3. n.16. c.6. n.19.*

Et si in Deo vice versa, quem semper vident, insunt omnia, Apost. ad Rom. c.11. n.36. Psal. 49. n.11. cur in ipso nos orantes non videbunt, *si verè in ipso sumus, viuimus, & mouemur? Act. Apost. c.17. n.28.*

Et si Ecclesia militans Christi est corpus, cuius nos singuli eius membra sumus de carne, & ossibus eius Apost. ad Ephes. c. 5. n.30. Ad Gal. c. 3. n. 28. eius cur corpus totum, & membra eius singula videre non poterunt, *si in ipso Christo, & ipsi sunt? Io. c. 14. num.20.*

Et

Et si in nobis, in militanti, qui Ecclesia sumus permanet Christus, & nos mutuò quoquè in Christo permanemus, sicut & Sancti eius in ipso in cælo permanent. Io. c.17. n.21. & 23. iuncto d. c. 14. n.20. cur cum ipsis in ipso simul permanentes nos non videbunt sic, vt supra, orantes, maximè si hic corporea nos non obstante mole, mundanisquè accidentibus ferè infinitis eorum vtimur cœlesti conuersatione, *æternaquè sæcula illa ex inuisibilibus visibilia facta perpetuò contemplamus, ac videmus, atquè compræhendere possumus, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum supereminentemquè scire scientiæ charitatem Christi, vt in omnem impleamur plenitudinem Dei, in quo hæc omnia possumus, ac videmus? Sap. d. c.9. n.15. Apost.2. ad Cor. c.5. n.2. Ad Philip. c.3. n.20 ad Heb. c. 11. n.3 ad Eph. c.3. n.18. 19.*

Et si, in cœlo qui sunt, maiorem gaudij solemnizant celebritatem super vno peccatore pænitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis pænitentia non egentibus Luc. c.15. n.7. & 10. per necessariam quoque antecedentiā, & peccatorum pænitentiam, & bona iustorum in terra degentium viderint opera consequens est.

Et si in patria illa cælesti Sancti Christum eorum regem videbunt in decore suo (qui decor *æterna claritas est illa, quam in eo se visuros esse pollicitus est Io. c.17. n.24. & inde de longè terram cernent*, cernentes autem, quid in ea fiat, videre valeant, consequens est. *Isa. c.33. n.17.*

Et si ad finem orationum eorum, qui laudant in terra Dominum, hi, in cælis qui sunt, dicunt: Amen. Apoc. c.5. n.13. Eos ibi sic orantes viderint, vel audierint necesse est. Nequè verum est, quod ipsi sibimet in mente confingunt, quod videlicet per huiusmodi Sanctis à nobis porrectas deprecationes Christo Mediatori, & Domino nostro fiat iniuria, quasi per eas eius derogetur mediationi, merito, & gratiæ, cuius vt facilius valeat depræhendi rei veritas, ea, à quibus huiusmodi pendet cognitio, à fundamentis repetamus, & inter ea rectè distinguamus, oportet, & breuitati consulentes dicimus: quod sicut in diuinis in lumine fidei à filio Patrem mente distinguentes eum æternum dicimus esse principium, ex se per actum intellectus filium ab æterno generans, eiquè omnia, quæ sua sunt, tribuens ipsam præter paternitatem, quia illa in ipsa est personarum relatione, ac communicatione substantiæ incommutabile, atque immobile principium. Filium verò à Patre,

æter-

æterno eius tanquam principio sic vt supra, esse genitum, omniaquè à Patre quæ sunt possessa, possidentem sic, vt illa vtriusquè propria esse dicantur alterius præter priuatam personalitatem; quia Pater non potest esse Filius: nec Filius potest esse Pater, alter tamen in altero mutuò, ac perpetuò permanens vnus sunt tantum cum Spiritu Sancto Deus, quia vna tantum est ipsorum Diuinitatis substantia *Io. dd. c.16. n. 15. & 32. c. 14. n. 10. & 12. c.10. n.30. & 38. c. 17. n. 10 21. & 23. & eiusdem p. d. c. 5. n.7. Mat. c.11. n.27. Luc. c.10. n.22. Sap. c.7. n.22. & 26. c.9. n.9. 11. & 17.* Filius autem carnem assumens, & homo factus vnus nostræ solus mediator extitit salutis, & pacis. *Io. c.p. n.2 & 14. Act. Apost. c.3. n.22. & sequentibus vsq; ad finē cap. Apost. 2. ad Cor. c.5. n.22. Ad Gal. c.3. n.13. & per totum, ad Heb. c.9. n.14. & 15. Pet. p. c.p. n. 19. & sequentibus Io. p. c. p. n. 2. & 7. Apoc. c. p. n. 5. & sic per vniuersas fere scripturas.*

Sancti verò, de quibus noster est sermo, puræ sunt creaturæ à Deo creatæ, & ex eius mera gratia in verbo eius per sanguinem Christi sanctificatæ in cœlumque receptæ, ac eius amicitiæ & gloriæ participes factæ, ibiquè ministri, ac Sacerdotes Dei a Christo Domino nostro subordinatè sibi subconstituti, quemadmodum nos sacræ docent literæ *Isa. c.26. n.7. Apoc. c.p. nu.6. c.20. nu.6.*

Nostræ ergo licet consilium pacis, *vt dicit Zach. c.6. n.13.* inter ipsum tantum intercesserit Deum, & eius vnigenitum filium magni Angelum consilij, æternam in mysterio sapientiam ante sæcula prædestinatam, nostræ mediatorem constitutum reconciliationis ità, vt ad illam ad actum perducendam præter illum nulla quantumuis perfecta satisfuerit creatura. *Act. Apost. c. 4. num. 12. & 13. Apost. ad Colos. c. p. num. 20. & 22. c.2. num.13. & 14. Io. p. c. 2. num.2. & 7. c.4. n.9. 10. & 14. c.5. n.18.* quia sicut gratiæ concessio non humanitatis, sed diuinitatis est opus, nostræ sic mediatio reconciliationis perficiendæ incarnati est opus Verbi tanquam diuinitatis simul, & humanitatis particeps. Nam cum offensi obiecti ratione humana esset infinita culpa, illius sic mediator infinitam in manu sua satisfactionem haberet, oportebat, vt paritati offensionis æqualitatem exhibens satisfactionis diuinæ satisfaceret iustitiæ, *quæ perpetua, & immortalis est. Sap. c.p. n.15.* satisfaciens autem inter offensum, & offensorem ab æterno inter eos consultatam perficeret pacem, pro-

pter

pter hoc diuinæ oportuit esset ille particeps naturæ, ex diuino autem decreto cum pro peccato ad mortem esset damnatus homo, & consequenter ex illius pronunciatione diuina hoc exigente iustitia moreretur homo, necesse esset, humanæ quoquè oportuit particeps esset ille naturæ, vt pariformiter in manu sua condemnationis habens satisfactionem illam diuinæ persoluendo satisfaceret iustitiæ, suaquè præfatum de medio tolleret morte mortis decretum, vt sicut per vnum hominem peccatum in hunc intrauit mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes illa pertransiuit homines, in quo peccauerunt omnes, sic per vnum hominem pro omnibus peccatum factum, & illud in sua interficientem carne, suaque morte morti mortem dando esset omnibus in ressurrectionem vitæ: & sicut per vnius delictum in omnes homines pertransiuit culpa in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines pertransiret satisfactio in iustificationem, & tandem sicut regnauit peccatum per vnum hominem in mortem, ita regnaret gratia per vnum hominem Iesum Christum in vitam æternam, *quemadmodum dicit Apost. ad Rom. c. 5. n. 10. 11. 12. 18. & 21. 2. ad Cor. c. 5. n. 21. ad Eph. c. 2. n. 14. 15. 16. & 17. Ad Colos. c. p. n. 20. 21. & 22. c. 2. n. 14. ad Philip. c. 2. n. 6. 7. & 9.* nostræ ideo remissionis, condemnationis, & reintegrationis amicitię cum ipso Deo gratiam pro istius obtinentes Mediatoris gratia Deo reconciliati sumus, *propterea B. Io. c. p. n. 16. & 17. dicit: quod gratia per Iesum Christum facta est, & nos per donationem illius de eius accepimus plenitudine, & per ipsum pacem habemus. Apost. ad Rom. d. c. 5. n. 15. 17. 21.* Mediatio ideo hoc in indiuiduo sumpta modo cum non à Sanctis, de quibus noster est sermo, sed à Domino nostro fundamentaliter processerit Iesu Christo, nec illorum, sed illius præcipuum fuerit opus: illis sic à nobis eo, quo supra, non est tribuenda, ab ijs nec petenda, vel recognoscenda modo, ne ab authore, & consumatore salutis eius auferamus gloriam redemptionis, ipse propterea dixit: *Quod ad Patrem nemo vadit nisi per filium Io. c. 10. n. 19. 28. & 29. c. 14. n. 6. Act. Apost. d. c. 4. n. 12. Apost. ad Rom. c. 3. n. 24. 25. & 26. c. 5. n. 2. ad Eph. c. 2. n. 18. vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem Io. d. c. 5. n. 23. & quod ad filium venit nemo, nisi quos ad se traxerit Pater Io. c. 6. n. 44.* vt omnes honorificent Patrem, sicut honorificant filium, honorificatur autem Pater in Filio, & Filius in Patre, quia cum

 alter

alter in altero perpetuò permaneat, sicque permanentium vna tantum sit cum Spiritu Sancto substantia diuinitatis, *his sic tribus honor est vnus Io. c.5. n.23. c.8. n.54. c.12. n.28. c.13. n. 31. & 32. c.14. n.10. 11. 13. c.16. n.13. & 32. c.17. n.1. 4. 5. & 22. Apost. propterea 2. ad Tim. c. 2. n.5. dicit: Quod sicut Deus est vnus, vnus ita est mediator Christus, qui accedens ad Deum per semetipsum in perpetuum saluare potest, quia simul homo, & Deus est. Apost. ad Heb. c.7. n.25. & 26. c.9. n. 14. & 15. & 2. ad Cor. c.5. nu. 18. & 19. Io. c.14. n.13. & 14.*

Catholicorum autem virorum sicut nullus ita de Sanctorum, de quibus noster est sermo, ac de Christi persona, sublimitate, merito, mediatione,& gratia sentit,eo sic sensu Sanctos deprecatur nullus, quia quemadmodum in lumine fidei inter eos,& Christum sic, vt supra, distinguentes non erramus, eos sic secundum intellectus huiusmodi orantes veritatem non erremus, cōsequens est, quia sicut agendarum rerum intellectus illarum est in nobis absoluendarum principium, earum sic absolutio secundum huiusmodi sit intellectum postulat ratio, quia ab eo, à quo procedit principio non potest esse diuersa processio, operationes ergo nostrae, nostrae si sunt voluntatis, voluntatesquè nostrae agentis nostri naturales sunt intellectus processiones: nostra per consequens qualis fuerit agentis agnitio intellectus, eius quoque talis erit voluntas, eius autem qualis erit voluntas, eius etiam talis erit operatio, & vice versa ex ipsa operatione, qualis fuerit voluntas: ex voluntate autem qualis fuerit percipietur agnitio intellectus, quia compositionis, & resolutionis ex aduerso conuersus est praedictarum rerum effluxus, & eiusdem agnitio disciplinae, propterea sicut à bono principio secundum naturam necessario bona procedunt, ab eo sic procedentia bona, boni sunt argumenta principij, idcirco *Mat. c.7. n.17. & 18. & c.12. n.33. & 35. Luc. c. 6. n.43. 44. & 45. scriptum est: Quod arbor bona bonos facit fructus, nec malos facere potest: & quod ex fructu bono scimus arborem fuisse bonam: & quod bonus eorum est intellectus timorem Dei qui faciunt Psal. 110. n.10.* finis propterea, & intentio nostrarum cum sint actionum formae indiuisibiles *Eccl. c. 16. nu. 15. c. 38. nu. 26. & seq. vsque ad finem cap. Apost. ad Rom. c. 2. n.6. 7.* finis autem, & intentio naturae sicut est, vt venerato, quae conueniunt, obsequia praestentur venerationis, ea sic praestantium est, vt illa venerati

per

per omnia correſpondeant proportionibus obiecti, vt venerato-rum meritis, & eſſentiarum illorum rythmis venerantium concordent concentus, & vna omnium concors fiat harmonia rerum.

Ex diuinis propterea quampiam ſi nominatim veneremur perſonam eam ſic venerantes dicimur venerati fuiſſe Deum, Deumquè venerantes omnes tres quoque in omnipotẽte quæ ſunt Deo, Adonai nomine ſignificatas dicimur venerati fuiſſe perſonas,quoniam illarum ſicut trinus eſt numerus, ipſarum ſic omnium vna eſt diuinitatis ſubſtantia, cuius vna eſt potentia, gloria, & maieſtas. *Exod. c.6. n.3. c.3. n.14. Gen. c. 18. n.2. & 3. Prou. c. 30. n.4. Eccl. c.51. n.14. Pſal.32. n.6. Ioel. c.2. n.28. & 29. Io.p. c.5. n.7.*

Hiſce ergo rectis ſi præconcepta modis obſequia præſtiterimus venerationis pie agimus, iiſdem cur modis noſtras illis ſi porrexerimus deprecationes impiè egiſſe dici poterimus? Noſtra ergo deprecatio non implicitè ſolum ex ipſa, vt dictum eſt, rerum natura, noſtræquè concordia mentis,ſed & explicitè ex diſtincta, & expreſſa declaratione noſtra per omnia veneratorum ſic correſpondet proportionibus, vt per eam nulli eorum vlla re inferatur, inferriue poſſe dici valeat iniuria, propter hoc Deo Patri noſtras quando porrigimus preces eum enixè obſecrantes deprecamur, vt nos exaudire dignetur per Ieſum Chriſtum eius filium ſummum apud eum mediatorem,& Dominum noſtrum vna cum eo in æternum cum Spiritu ſuo Sancto conuiuentem, & corregnantem.

Chriſto autem Domino noſtro quando noſtras offerimus preces, eum vt Dominum, ſimul & mediatorem ſummum obſecrantes deprecamur, vt & noſtri miſerere, & de eius pro nobis meritis in conſpectu Patris exponere dignetur, vt ſalui ſimus, ac eſſe valeamus, *quoniam ipſe verè iuſtitia eſt, ſanctificatio, pax, & redemptio noſtra Iſa. c.22. n.22. c.53. per totum Iob c.12. n.14. Apoc. c.3. n.7. Apoſt. p. ad Cor. c.p. n.30.*

Sanctorum verò, de quibus noſter eſt ſermo, ſi quempiam deprecamur eum non vt Deum, diuinæue naturæ natura participem, noſtræue vt authorem ſalutis, mediatoremue noſtræ cum Deo reconciliationis oramus, vt idololatremus, Chriſtoue mediatori ſummo iniuriam inferamus, ſed vt puram Dei creaturam, eiuſque famulam, caram tamen, & amicã, Chriſtique mediatoris

 ſum-

summi subministram sibi in hoc ab ipso subordinatè constitutam, Deo nostras vt offerat supplicationes, & vota, & pro nobis oret, nostræ prout exposcunt necessitates, & nobis in Deo expedire cognoscunt, cæteri quemadmodum in hoc sæculo faciunt Sacerdotes, propterea ad Dei, mediatorisquè summi differentiam non miserere dicimus: non de tuis, vt per te salui simus, pro nobis expone meritis, sed tantumodo dicimus ora pro nobis; vt per talia, & personarum, & ministerij illorum distinguamus, & manifestemus qualitatem.

Quod autem Sancti sic, vt supra, Dei sint à Christo constituti Sacerdotes, pro nobis vt orent, clare habetur *Apoc. c. p. n. 6. c. 5. n. 8. & 10. c. 8. n. 3. & 4. c. 20. n. 6. Tob. c. 12. n. 12.* & si de his quis non plene se satisfactum esse videatur legat *Isa. c. 61. n. 3. 6. 7. vbi inueniet scriptum. Quod fortibus iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum vocatis, dabitur in patria illa cœlesti Ierusalem sancta corona pro cinere: oleum gaudij pro luctu: pallium laudis pro Spiritu mæroris: & quod in ea vocabuntur Sacerdotes Dei, & ministri Domini Dei sui & c. 56. n. 7. dicit: Quod, suam qui obseruarunt legem, adducet Dominus in montem sanctum suum, locum, videlicet, gloriæ suæ Psal. 67. n. 17. & quod lætificabit eos in domo orationis suæ, idest in templo suo, quod est in cœlo. Dan. c. 3. nu. 53. Apoc. c. 14. nu. 17. & quod ibi eorum oblationes placebunt super altari suo Apoc. d. c. 14. n. 18. Psal. 49. n. 13. & 23. Mat. c. 26. n. 29. Mar. c. 14. n. 25. Malach. c. p. n. 11.* ibi ergo si officio funguntur Sacerdotis: Sacerdotes sint, consequens est. Et si militantis Ecclesiæ membra hanc in terra possidet gloriam, & honorem, Deum vt pro fratribus suis orare valeant, hanc illuc assumpta cur dimittent eam, *si illuc affert quilibet gloriam suam? Isa. c. 60. n. 11. Apoc. c. 21. nu. 25.* ibi ergo si à Christo sunt Sacerdotes in sanguine suo sibi subconstituti, Deo vt sacrificium offerant laudis, & pro nobis orent, in huiusmodi exercitatione muneris pro hominibus Deo præstiti nō propriam, sed Christi eos sibi, vt supra, subconstituentis referunt personam. *Mat. c. 10. n. 40. Luc. c. 10. n. 16. Io. c. 13. n. 20.* referentes autem ei nullam inferant iniuriam consequens est, quia non is, alterius qui nomine aliquid proprio suo implet ministerio, sed is cuius auctoritate, & nomine impletum est, id verè adimpleuisse dicitur *Io. c. 19. n. p.* & tanto magis in materia à nobis proposita, quia si, prout est verè, *Christus mutuò est in Sanctis suis, & ipsi in ipso sunt*

Io.

Io. c.14. n.20. c.17. n.21. Apost. p. ad Thess. c.4. n. 15. in cœlo per consequens quidquid Sancti operantur, Christus in ipsis id operatus fuisse dicitur, ac operatus est verè, quia ipse est omnia in omnibus, & in omnibus operatur omnia verè *Apost. ad Colos. c. 3. n.10. Psal. 67. n.29. Psal.89. n.17. Sap. c.8. n.4. Eccl. c. 49. n. 29. Isa. c.26. n. 12.* Ecclesiæ ergo, & animarum nostrarum pacem, Sanctorum, quam à Deo petimus, & obtinemus medio, sicut primo, & principaliter sic, vt supra, ad Christi summi mediatoris omnia in omnibus operantis, secundario autem ad ipsorum tanquam ei subministrantium petijsse, & obtinuisse dicimur intercessionem, ei sic primo, & principaliter, illis verò secundario id à Deo fuisse concessum dicendum est, quia ei factæ sunt dictæ donorum promissiones, & concessiones *Apost. ad Gal. c. 3. num. 16. Psal. 87. n. 29. & 35.* vt suo loco plenius, ac dilucidius declarabitur.

Ex his satis deduci posse videtur: Quod in cœlo, & in terra pro alijs non solum rogare non prohibemur, sed in Christi, cui in hoc subministros nos exhibemus, sancta, & deuicta inuitamur charitate iuxta illud *Psal. 121. nu. 6. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.*

Et quod id vlla sine iniuria fiat Christi mediatoris summi, quia ipse est, qui in nobis id operatur. Propterea *Isa. c. 26. n. 12. scriptum est: Dabis Domine pacem* (quam videlicet petimus) *quia omnia* (quæ ad dictam pacem sunt) *tu operatus es in nobis*, eam à te petentibus, & concessam obtinentibus; quæ omnia adeo mysteriosè, *à Spiritu Sancto Iob c.33. n.23. & 24. confirmantur dicente: Quod ex cunctis millibus, in Dei qui astant conspectu, si adfuerit vnus, qui pro aliquo ex nobis pænitente Deum alloquatur, eique illius porrigat preces, illi tunc sic ex nobis pænitenti miserebitur Deus, & pro eo se roganti respondebit: libera eum ne descendat in corruptionem.*

Nequè, quod se rogantem Angelum appellet, huic obstat sensui, quia vltra quod, in cœlo qui recepti sunt omnes sunt sicut Angeli Dei *Mat. c.22. nu.30. Mar. c.12. nu. 25. Luc. c.20. nu. 36. Apoc. c. 21. n. 12. & 17.* præsertim autem ad Deum qui pro alijs preces effundunt, quia pro alijs orare sicut præcæteris præcipuum est Sacerdotis ministerium, qui verè dicitur Angelus Domini, eiusmodi sic tam sublimè qui adimplent ministerium Angeli dicantur ipsa suadet ratio, non mirum ergo si ibi pro alio orans

An-

Angelus nominetur *Bar. c.p. n.13. Ezech. c.22. n.30. Malach. c.2. n.7. c.3. n.p. Marc. c.p. n.2. Luc. c.p. n.17.*

Nequè pariter obstat: quod huiusmodi se roganti respondeat Deus: libera eum ne descendat in corruptionem, eo quod hoc facere non creatæ, sed increatæ, & æternæ sit actus potentiæ, quia cum Sanctus, vt dictum fuit, in actu intercessorio non suo, sed Christi nomine nobis apud Deum patrocinium præstet, nec in hoc suam, sed Christi, cuius subminister est, referat personam, sicut quidquid Sanctus ille agit Christus egisse dicitur, sic ei quidquid à Patre concessum est, Christomet concessum esse dicitur: non mirum ei si dicat: libera eum, ne descendat in corruptionem, quia Christus assumpta carne cum ex humanitate creata, & increata diuinitate constet, simul etiam mediator, & liberator sit consequens est *Exod. c.23. n.20. 21. ad Heb. c.7. n.25. 26.*

Ex his ergo manifestè apparet, quod per Sanctorum deprecationes Deo pro nobis porrectas nulla Christo mediatori fit iniuria, sed eius perficitur voluntas, & exequitur maiestatis imperiũ, quod ex eo tanto magis elucescit, quia & si Christus vnus sit omnium à Patre iudex constitutus viuorum, & mortuorum *Mat. c.16. n.27. c.25. n.31. Io. c.5. n.22. & 27. Act. Ap. c. 10. n. 42. Apost. ad Rom. c.2. n.16. 2. ad Cor. c.5. n. 10. p. ad Tess. c.4. n. 15. et 16. ac etiã 2. ad eosdẽ c.p. n.7. et 8. et 2. ad Tim. c.4. n.p.* Sancti Dei tamen huius supremi sine iniuria iudicis *si nationes iudicabunt Psal. 149. n.6. 7. 8. 9. Sap. c.3 n.8. Apost. p. ad Cor. c.6. n 2. Apoc. c.20. n.4. Dan. c.7. n.22. et Apostoli sedebunt super sedes iudicantium duodecim tribus Israel Mat. c.19 n. 28. Luc. c.2. n. 30. Psal. 121. n.5. Abd. c. vnico n.21.* Sic à maioritate rationis multò magis pro nobis orare poterunt, quoniam iudicatio à suprema prouenit imperij auctoritate, supplicatio autem est actus inferioritatis, & seruitutis. Verum ne dum alterum diluere curamus errorem ansam alterius ex suscitandi incautè præbeamus, dicimus: quod in iudicio vniuersali in hoc Sancti iudicabunt nationes, quia factis proprijs damnatorum comprimentora. Nam exempli causa si in lege naturæ Henoch sibi à Deo porrecta non recusauit auxilia: non peruersa, recta sed egit. *Gen. c.5. n.22. 24.* cæteri sic, eadem qui sub lege erant naturæ, similiter & facere poterant, quoniam eiusdem & ipsi generis status, & naturæ fuerunt homines, cuius & ille fuit. Apostoli in hoc sic iudicabunt duodecim tribus Israel,

quia

quia illi, si ex iisdem tribubus, status, & lege, Christi non reprobarunt testimonium, post prauitatem nec abierunt, cæteri sic facere non sunt prohibiti, immo per eos ad hæc adhortati,& adiuti, vt vndiquè ex sacra apparet pagina, propter quod *Apost. ad Gal. c.4.n.12. dixit : estote sicut ego, quia & ego sicut vos,* quasi dixisset: ex eodem si spiritus, & carnis composito, quo vos constatis, ego consto, cur etiam auxilia vobis à Deo porrecta non accipitis, sicut ego accipio, & ab ijs non abstinetis malis, à quibus me abstineo? *quia Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, sed suum quisque sibi fabricat interitum, & in operibus suis acquirit perditionem, nemini enim mandauit impiè agere, vlli nec dedit spatium peccandi, sed, vt essent, creauit omnia,& sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Sap. c. p. n. 13. & 14. Psal. 9. n.16. Eccl. c.7. n.1.2. c.15. n.21.* & si ad eos, dixerint non peruenisse veritatem, eorum obstruent ora dicentes: euangelium nos annunciauimus Dei omni creaturæ,quæ sub cœlo est, & pro eo sanguinem nostrum effudimus, propterea si damnati estis iusta de vobis iudicauit Deus *Apoc. c.19.n.1. & 2.* & hoc est quod Dominus noster *Mat. c.12.n. 41.& 42. Luc. c.11.n.31.& 32.* nobis manifestare volens ait: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista,& condemnabunt eam: quia pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,* isti in prædicatione sua, quæ maior est illa Ionæ, ea agere noluerunt. Ecce ergo quomodo sine iniuria supremi iudicis sancti iudicabunt nationes, & pro nobis orant, & orare possunt, prout ex alijs etiam sacrarum scripturarum auctoritatibus manifestè comprobari potest, & in specie *Io. c. 16.n.23. & 26.* ad cuius dilucidiorem intelligentiam quædam in eodem præinserta capite præmittenda esse duximus, & præsertim *sub n. 19.* vbi D. N. I. Christus duo suis enunciata proponens Apostolis vna cum alterius eorum redditione rationis ait: *modicum non videbitis: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Hæc certè redditio rationis proximiori non referatur dicto ipsa suadet ratio, quia dicere: modicum videbitis me, quia vado ad Patrē ratio hæc istud excluderet, non comprobaret dictum, remotiori verò si referatur dicto, ei quadrat, & benè currit: modicum, videlicet, non videbitis me, quia vado ad Patrem, prout etiam ibidem *sub nu.10. & 28. & c.14.n.2.* exprefsè dicitur: & iterum modicum & videbitis me,

me, quando, videlicet, *iterum veniam, & accipiã vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, ibi et vos sitis, sicut de vobis alias rogaui, et tunc rogabo Patrem d. c. 14. n. 3. c. 17. n. 24.* ex quibus scripturis in claris remanet, quod non est inconueniens, neque nouum, quod ratio non proximiori, sed remotiori referatur dicto, & quod alterius dicti ratio non in eadem, sed in alia reddatur scriptura, prout & in multis alijs fieri videmus locis. Post hæc descendens ad tempus, quo Apostoli eum visuri non essent, ait: *amen, amen dico vobis quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit, quia vos absque sinagogis facient, et persequentur, et supplicijs afficient, ita vt omnis, qui interficiet vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, propterea ipsi gaudebunt, vos autem contristabimini, sed quemadmodũ mulier, dum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, post partum verò lætatur, quia natus est homo in mundũ, sic et vos contristabimini in hoc sæculi die, in quo quodcunque petieritis fiet vobis d. c. 14. v. 13. et 14. In alio verò sæculi die tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis,* quia fiet immutabile, & æternum *d. c. 16. n. 2. 20. et 22.*

De illo autem beatitudinis eorum, & æternitatis die verba faciens duo rursus enunciata pronunciat, alterum, videlicet, *sub n. 23.* alterum *sub n. 26.* dicens: *et in illo die me non rogabitis quidquam,* & rursum *in illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego de vobis rogabo Patrem,* cuius est sensus eo declarandus, quo de alijs superius diximus enunciatis: quod in illo, videlicet, æternitatis die me non rogabitis quidquam, pro vobis dico, quia ego de vobis rogabo Patrem, vt scilicet vobis reddat coronam glorię, quam ego promisi omnibus diligentibus aduentum meum, de suorum enim agens gloria Apostolorum Christus propriam apud Patrem tuetur causam, quia si eam illis daturum pollicitus est, & Pater idem Filio iureiurando confirmauit: ipsi ergo Christum tunc non rogabunt quidquam, quia Christus promissorum memor de ipsis rogabit Patrem, vt eis promissam reddat coronam gloriæ *Io. d. c. 14. n. 2. c. 17. n. 24. Psal. 131. n. 11. et 12. Psal. 58. n. 11. Apost. 2. ad Tim. c. 4. n 8.*

Accepta autem in cœlo corona gloriæ, quo vlterius Sancti illi beati egere poterunt, à Deo vt pro se aliquid petant? pulsamus enim, vt aperiatur nobis: quærimus, vt inueniamus: petimus, vt secundum egentias nostras accipiamus. *Mat. c. 7. n. 7. c. 21. n. 22.*

num.22. Marc. c. 11. num. 24. Luc. c. 11. num. 9. Io. c.14. num. 13. Iac. c.p. n.6.

Illi autem iam in domo si recepti sunt propter quid pulsent non habent: si in domo ingenti, & magna sunt, quæ finem non habet, vbi omnimoda affluunt iucunditate,& torrente potantur voluptatis, & omnis inebriantur vbertate boni, quid quærant non inueniunt: quid petant non habent, quia omnia possident *Bar. c. 3. n. 24. et 25. Psal. 35. n. 9. 10. Isa. c. 66. n. 11. 12.* consequens est ergo, vt sibi ipsis nihil tunc petant. Benè ergo eis dixit Dominus: in illo die me non rogabitis quidquam, vobis dico,quia vobis non deerit quidquam, in eo igitur etiam die si in nomine suo petent, verum non pro se ipsis, pro alijs id faciant, consequens est: vide ergo quod Sancti in illa cœlesti patria pro nobis,qui egemus, orabunt, & ab eo aliquid petent. Verum dicet aliquis forsan, consequentia huiusmodi, in hac cum non exprimatur scriptura, per eam terminatam manere principalem quæstionem inconueniens esse videtur ex sola illius suppositione. Dicas precor tù mihi prius: tù cum argumentaris nonne ex præmissis propositionibus inferendo, absquè eo tuam quod exprimas conclusionem, eam pro expressa habes, & qui te audiunt, ex suppositione illius eam à te tanquã per extensum prolatam habentes acquiescunt ei? quis ergo es tù,quod homines cæteri tuis cogantur acquiescere illationibus, diuinis autem tù acquiescere recuses? Respondebis forsan: quod in humanis ab auctoribus artis istius argumentandi hoc expresè cautum, & consuetudine latè etiam confirmatum sit: in diuinis verò, hoc fuisse cautum, nullibi reperiri, ex ijs propterea nil vlterius esse deducendum, ipsa nisi quantum expressa verba sonant. Cur non & in diuinis? Nonne *Ezech. Proph. eius c.7. n.23.* iussit Deus: vt ex eis, quas illi propositurus erat, conclusionem educeret propositionibus, dicens: fili hominis fac conclusionem: quia terra plena est iudicio sanguinum, & Ciuitas plena iniquitate: ex his autem nullam exprimens conclusionem, voluit, quod eam Propheta à se ipso educeret, & ab eo, & ab omnibus pro expressa haberetur, ac si ibi per extensũ enunciata fuisset *Deu. c. 18. n.21. Io. c.14. n.29.* sicut ergo in humanis, ita etiam in diuinis expresè cautum esse dicitur: quod conclusio ex præmissis sequatur vlla absque alia illius expressione: sicut in simili fecit D. N. Iesus Christus *Mat. c. 11. n.2. 3. 4. & 5. Luc. c.7. n.20. 21. & 22.* duobus

 disci-

discipulis B. Io. Baptistæ illius ex parte se interrogantibus *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Nam maiori omissa propositione in sacra velut alias expressa pagina, eo quod *semel loquatur Deus, & id ipsum secundo non repetat. Psal. 61. n. 12. Iob c. 33. n. 14. Isa. c. 9. n. 2. & 20. Ier. c. 2. n. 31.* quod, videlicet, *Messia verus, in mundum qui venturus erat, futurus esset in Ierusalem fons salutis omnibus, à quacumque detinerentur infirmitate. Isa c. 12. n. 3. c. 35. n. 5. & 6. c. 53. n. 4. Ier. c. 17. n. 13. Zach. c. 13. n. 9. Mat. c. 8. n. 17. c. 15. n. 30. & 31. Io. c. 4. n. 10.* cuius typus, & significatio probatica fuit piscina illa, *quæ cognomine dicta fuit Bethsaida. Io. c. 5 n. 2. & 9.* ipse verò fons verus ille salutis per eam significatus, *ex quo continua, tanquam aqua, virtus exibat salutis, & sanabat omnes Luc. c. 6. n. 19. c. 8. n. 46. Marc. c. 5. n. 30. Act. Apost. c. 4. n. 12.* Minorem verò non verbo, sed factis exprimens, eo quod actualiter in conspectu illorum curatis multorum infirmitatibus respondens ait: *euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, & pauperes euangelizantur*: ex his autem aliam nullam educens expressam conclusionem, pro expressa tamen ibi haberi voluit, prout habenda est verè: quod ipse, videlicet, Messia verus esset ille, in mundum qui venturus erat, alius ideo nullus amplius expectandus esset, quia quærenti se se ipsum negare non potest, quoniam ipsa est veritas. *Apost. 2. ad Tim. c. 2. n. 13. Io. c. 14. n. 6.* quemadmodum & eum esse verè eius testificabantur opera, quæ, si is verè non fuisset, minimè facere potuisset, ex ipso etiam hebræorum testimonio *Io. c. 5. n. 36. & 37. c. 7. n. 31. & 40. c. 9. n. 30. 32. et 33. c. 10. n. 25. 37. 38. 41. et 42.*

Huiusmodi ergo sequela, & si verbo ab eo ibi non fuerit expressa, est tamen habenda, ac si per extensum fuisset enunciata. Ita, & non secus in casu nostro *Apoc. c. 5. n. 8. c. 8. n. 3.* Sancti ergo si in cœlis Deum rogaturi sunt, & aliquid ab eo petituri, sed non pro se ipsis, pro alijs id facturi sint, consequens est.

Hæc igitur cum ex antedictis, & infra dicendis certissimis sacrarum scripturarum deducantur sensibus, eis noster acquiescat intellectus, oportet, quod & nobis manifestius declarare volens *Proph. Psal. 31. n. 6.* postquam in persona pænitentis spem se dixisset habere viuam, quod impietatem peccati sui, sibi esset remissurus Deus subiungens ait: *et pro hac* impietate, videlicet, *ad Deũ orabit*

orabit omnis Sanctus in tempore opportuno, quod semper esse dixit præterquam in diluuio aquarum multarum, idest, in die extremi iudicij, quia tunc non erit amplius tempus supplicationis, & gratiæ, sed retributionis, formidinis, & pænæ, propterea ad Deum tunc non approximabunt, vt pro quoquam deprecentur *Nahum c. vnico n. 8. Soph. c. p. n. 15. & 16. Isa. c. 28. n. 17. & 18.* etsi in Ecclesia quæ fiunt triumphanti, huiusquæ exemplar est militantis, nobis & sunt, esse ac debent ratio, & norma eorum, à nobis in hac quæ fieri debent militanti,in qua perfectiora quæ facimus, eorum, in ipsa quæ fiunt, ex parte tantumodo sunt,in ea quoniam secundum eius voluntatem omnia perfectè fiunt *Apost. ad Heb. c. 8. n. 5. & p. ad Cor, c. 13. n. 9. 10. & 12.* Dominus propterea noster Iesus Christus perfectum volens nos orandi docere modum *Mat. c. 6. n. 10. dixit: cum oraueritis dicite. Domine fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*, vt per ea, quæ fiunt in cœlis, facere quid deberemus, sciremus, in terris, vel ad ea, quæ ibi perfectè fiunt, nostram conformare volentes voluntatem, quam nostra scire, & facere non valeremus imbecillitate, facere volentes prompta saltem impleremus mente. Modo si, vt prædicti asserunt, Sancti in cælis pro nobis non orarent, orare nec possent, inconueniens alterum ex duobus sequeretur, oporteret: vel quod in terris nos pro alijs orare non possemus, nec deberemus, quod ex diuino falsum apparet verbo. *Ezech. c. 22. n. 30.* vel talia qui nos docuit (quod ea tamen qua decet dictum sit reuerentia, & ad hunc dumtaxat diluendum errorem, qui alias hoc esset blasphemum, & impium verbum) non rectè nos orare docuisset, quia si in cælis pro alijs non oraretur, per huiusmodi à Deo peteremus orationem, vt pro alijs in terris nobis non orare liceret, quod sicut eius est exaduerso contrarium voluntati, vt iam satis demonstratum est, illud sic ab eo petere iniquum, & impium esset. *Eccl. c. 15. n. 11.*

Christi ergo vt oratio in suæ incorrupto maneat splendore veritatis, vnaquè in vtraque seruetur Ecclesia diuinæ armonia voluntatis, consequens est,vt quemadmodũ voluit: quod in hac militanti pro alienis,quoadusque vigeret oraretur egentijs pabulum quæ sunt, circa quod continuò nostra pascitur, & enutritur charitas; in illa sic, quod & ita fieret, voluerit pro certo habere debemus, donec ex duabus his omnium nostrum fieret habitatio vna,

 quia

quia ex lapidibus istius hic in terra insculptis, & elaboratis muri illius pretiosi constituuntur in cœlis, propterea *Proph. Psal. 50. n. 20. dixit: benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Isa. c. 54. n. 11. 12. Apost. p. ad Cor. c. 3. n. 12. Apoc. c. 21. n. 3. 14. 18. & 19.*

Per quæ fundamenta non solum modo, & forma præmissis nostras poterimus Sanctis commendare supplicationes, Deout illas directè sic, vt supra, nostro porrigant nomine, sed illas sanctismet ipsis simpliciter offerre vllo absque idololatriæ incursu (dumodo Sanctorummet in Dei, vel Deimet in Sanctorum temerè permutantes naturam intellectu non erraremus) vt in simili in sacra factum fuisse legimus pagina a Principe quinquagenario explicitè Eliam ex directo orante, ne ab igne per ipsum è cœlo euocato se consumi faceret cum quinquaginta suis, sicut a ijs antefecerat duobus principibus, nã in cõspectu Dei huiusmodi nõ displicuit, sed accepta, & exaudita fuit Principis deprecatio & ipse petita obtinuit, & ab Eliseo ex directo eundem Eliam a Deo in igneo raptum curru expliciti orante, vt illius in se duplex fieret Spiritus, & illius Deo placuit, & exaudita fuit oratio *Reg. 4. c. p. n. 13. 14. 15. c. 2. n. 9. 10. & 15.*

Non ergo, ità qui orant, orantiumue qui suscipiunt preces id Christi perpetrant iniuria, eius sed ex libero dono, & gratia ab eo in illius ipsis elargita viscere charitatis *Io. c. 15. n. 7.* dicente: *si in me manseritis, & verba mea in vobis manserint quodcũq; petetis fiet vobis.* Diuina enim sapientia Christum post humanæ assumptionem carnis appellata *Apost. p. ad Cor. c. 2. n. 7. & 8.* in suis se præsentialiter transfert sanctis, in ipsisquè sic translata in admirabilibus operibus suis ipsos admirabiles reddit, quia deliciæ bonitatis illius sunt esse cum filijs hominum, eosquè admirabiles reddere *Sap. c. 7. n. 27. c. 10. n. 16. Eccl. c. 24. n. 5. & 46. Prou. c. 8. n. 31. Io. c. 14. n. 23. c. 16. n. 27. Apost. ad Eph. c. 3. n. 16. & 17. Ad Gal. c. 2. n. 20.* quemadmodum se eis facturum fore promisit *Io. c. 14. n. 12.* dicens: *& opera, quæ ego facio, & ipsi facient, & horum maiora facient,* quia quodcumque petierint Patrem, ego (in eis, videlicet, existens) hoc faciam: ipsi ergo si sunt in eo, & ipse in eis, vt sunt verè *Io. d. c. 14. n. 20.* in ipsis cur ipse mirabilis existens, prout mirabilis est semper, & ipsi in ipso mirabiles non erunt? *Psal. 67. n. 36. Deut. c. 34. n. 12. Eccl. c. 48. n. 4. & 15.*

Hu-

Huiusmodi enim mutua alterius in altero permansio eiusdem cum sit inter vtrumque voluntaria spiritus vitæ participatio eos gratia faciens esse vnum cum Christo *Io.d.c.17.n.11.21.& 22.* omnes etiam consequenter actus à sanctissima huiusmodi procedentes vnitate in illamue pergentes, & directi per eiusdem communicati participationem Spiritus vitæ eadem & ipsi erunt armonia communes, vni nec fiet iniuria ab altero si petantur, in alterumue dirigantur, dumodo vt diximus, sanctissimum vnitatis istius principium cognoscamus, & confiteamur esse Christum, sine quo ipsi, nec Sancti, facere nec dicta mirabilia possent, quia ipse est illorum, reliquorumquè omnium sanctitatis indumentum, omnia in omnibus existens, & omnia in omnibus operans: eorum, vel alio modo non confunderemus, vel peruerteremus naturas: ipsa vel orandi methodus superius delibatæ principia recta. *Psal. 38.n.8. Apost. ad Eph.c.4.n.6. ad Colos.c.3.n.11.p.ad Cor.c.12.n.6.& 11.sap.c.8.n.4.5.& 6.Isa.c.26.n.12.Ier.c.23.n.24.Io.c.9.n.33.c.3.n.27.*

Hæc enim adducere compulsi sumus ad eorum elidendam pertinacitatem, qui sanctis porrectas preces idololatriam appellant, id & Christi perpetrari iniuria, vt vna cum ipsa nouerint ratione, quod sicut in testamento veteri Eliseus, & princeps quinquagenarius, alijquè Eliam, cæterosque Dei orantes seruos non errarunt, in nouo sic non errant, qui à Sanctis viris tam in vita, quam post mortem leuiora quædam eis ex diuina concessione donata, pro aliqua illorum singulari, & pręexcellenti Christiana virtute, martyrijue sofferentia sibi concedi petunt, qualia sunt alleuiationem à dolore dentium, oculorum, mammarum, & similium, quia in ipsis existens Christus ipse est, qui talia operatur, operans, eos admirabiles reddit, vt ad imitationem omnibus inotescat, quantum inter sit inter seruientem Deo, & non seruientem illi *Malach.c.3. num.18.*

Nam si in Ecclesia militanti pro eius gratiarum diuisione dat Deus alijs sermonem sapientiæ: alijs scientiæ: alijs elloqutionem, & intelligentiam linguarum: alijs interpretationem sermonum: alijs potestatem impartiendarum sanitatum: alijs fugandorum dæmonum: alijs virtutum, & miraculorum operandorũ: alijs discretionem spirituum, alijs occultorum notionem: alijs futurorum prophetandorum facultatem, & similium, omnia quæ

sunt spirituum Dei, Ab iis tamen, quibus sic donata sunt, liberè si exerceantur, eis ac subiecta esse dicantur, non solum non in eius summi tanquam datoris fiunt iniuria, vel esse dicuntur *Sap. c. 7. n. 17. & sequētibus vsq; ad 22. Apost. p. ad Cor. c. 12. n. 8. 9. 10. c. 14. n. 32. Mat. c. 10. n. 8. Marc. c. 3. n. 15. c. 6. n. 8. Luc. c. 9. n. 12. Io. c. 14. n. 12.* sed eorum vt propria alijs ab ipso impartiuntur Deo, ab illisue impartiri iubentur. *Num. c. 11. n. 17. 25. 29. c. 27. n. 20. Deut. c. 34. n. 9. Apost. 2. ad Tim. c. p. n 6.*

In Ecclesia cur triumphanti non multò magis ita erit, vbi minimus est in mille, & paruulus in gentem fortissimam, ex eius præsertim promissione, qui mentiri non potest *Isa. c. 60. n. 22. c. 66. n. 10. & sequentibus vsque ad 15. Mat. c. 11. n. 11. Io. c. 12. n. 26. Apoc. c. 3. n. 21. Apost. ad Tit. c. p. n. 2. Num. c. 23. n. 19.*

Nam si iuxta placitum Maiestatis suæ sibi complacuit eos constituere principes in illa beata patria Ierusalem sancta. *Psal. 44. n. 17. & Psal. 149. n. 7. & 8. Isa. c. 49. n. 23. Luc. c. 12. n. 32. Io. c. 14. n. 2. Apoc. c. 20. n. 6.* ita constituti, eorum si principatuum sic sibi ab eo ex gratia donatorum exerceant iura, largitatesquè donationum impertiant, cur in eius summi iniuriam imperij, non in illius diuinæ magnificentiam maiestatis id fecisse dicentur? cum & Imperator terrenus, Comites, Marchiones, Principes, Duces constituat, propter hoc tamen, quod hi eorum exerceant iura principatuum, largitatesquè profundant non in eius summi redundat iniuriam Imperij, sed per illorum magnificentiam illius tanto magis imperialis refulget splendor dignitatis, decor, & gloria maiestatis, quia sicut potestas talia exercendi ab ipsa in eos suprema processit imperiali auctoritate, actus sic omnes, & singuli ab illis emanantes ab ipsa intelliguntur effluxisse suprema imperiali manu, & potestate, quia imperij illius sunt membra corporis, cuius ipse supremum est caput, quod in omnibus, & singulis repręsentatur membris illis, in quibus, & ipse potentia esse dicitur, & ipsi in eo, quia ab ipso pendent, & sub vmbra alarum illius viuunt, ideo quidquid hi faciunt in ditionibus suis ipse fecisse dicitur, eosquè qui lędit eum, & lęsisse dicetur: si hæc in principibus sæculi huius, cur non, & multò magis erunt in principibus cælestibus illis, in quibus Christus præsentialiter existens eos facit esse vnum cum se ipso, ideo quidquid hi operantur ipse in ipsis operatus est, & ipsi per ipsum operati fuisse dicuntur, ac dici possunt,

 quia

quia ei *qui adheret vnus cum eo est Spiritus* *Apost.p. ad Cor.c.6.n.17.* Beatus propterea *Io. eius prima c.4. num. 17. & c. 3. n. 2.* de Sanctorum similitudine cum Christo verba faciens dicit: quod sicut ipse est Christus, ita & ipsi sunt etiam in hoc sæculo, in quo & si nondum nobis appareat, quod eos esse, tunc apparebit, cum tamen apparuerit, clarè tunc videbimus, quod ei similes erunt, quia eius vt essent imagini cõformes à Deo prędestinati fuerant *Apost. ad Rom.c.8.n.29.* quia ipse exemplar est, ipsi verò eius sunt exempla vitæ *Apost.2. ad Cor. c.4. n.10. et 11.*

Eos præterea si in fide sibi desponsauit Christus *Ose. c. 2. n. 20. Apost.2. ad Cor. c.11. n. 2.* cur Christi sui non decorabuntur honore sponsi si sponsa sui gaudet prærogatiuis viri? *Isa. c.49. n. 18. c.60. n.2. c.61. n.10. Bar. c.5. n.1. 2. et 3. Apost. ad Eph. c.5. n.25. 26. et 27. l. fœmina ff. de Senat.* B. propterea *Io. Apoc. c. 21. n 2. 9. 10. et 11.* de hac Christi sponsa sub nomine Ciuitatis Sanctæ Ierusalem sic ait: *ego Ioannes vidi Ciuitatem Sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo habentem claritatem Dei &c.* Christus enim eam sibi desponsans, quam apud Patrem ab æterno habuit, ei communicauit claritatem, per quam vnum facti *Io. c. 17. n. 21. et 22.* sicut sponsi facies vt sol lucet, ita & sponsæ, verum non in virtute sua, sed sponsi sui, illius quoniam prærogatiuis gaudet non natura quidem, vt ille, sed sui benificentia, & gratia sponsi *Apoc. c. 1. n.16. Mat. c.13. n.43. Sap. c.3. n.7. Dan. c.12. n.3.* Propheta propterea admirabilem hanc Sanctorum cum Christo adhærentium contemplans vnitatis celsitudinem ad eruditionem nostram cum ipso sic alloquitur Deo *Psal.138. n.17. Mihi autē nimis honorificati sunt amici tui Deus, et nimis confortatus est Principatus eorum.* Non nimis quidem, quia in eorum veneratione propheta quidquam vitiosæ admiserit nimietatis, sed quia vbi est Deus, non est satis, quod nos nimium appellamus, nam illum exaltantes, & benedicentes quantum plus possumus nostra adhuc est ille maior omni laude *Eccl. c.43. n.32. 33. 34. et 35.*

Præfatorum ergo Sanctorum veneratio, & deprecatio modis tamen, & formis à sacrosancta Ecclesia definitis, & limitatis, neque Deo, neque summæ Christi mediationi, gratiæ, merito, vel gloriæ in quoquam, vel minimo præiudicat; quoniam hæc omnia ab ipso sunt præordinata Deo in suæmet ipsius osten-

ostensionem celsitudinis, & gloriæ nam dictorum si sanctorum talis, & tanta virtutis, splendoris, & gloriæ est magnificentia, Domini, & Dei illorum, quæ qualis, & quanta sit, putanda est? inexcogitabilis quidem, atquè infinita, quia inter Creatorem, & Creaturam infinita in omnibus interest distantiæ dimensio *Exod. c.7. n.1. 5. et 17. c.8. n. 9. 10. et 13. c.9. n. 19. 22. 23. et 29. Eccl. c.48. n.3. et sequentibus vsquè ad 16.* non est ergo, vt exaduerso asseritur idololatria, sed ipsius est Dei veneratio ita fieri iubentis in gloriam suam.

Nam si quem adorarè multò maius est, quam, vt pro se roget, eum deprecari, eo quia posterior actus merè sit subiectionis, prior verò, quoquo modo fiat, sit superioritatis Sanctum per consequẽs si eo modo, quo conuenit, sine idololatria adorare valemus, illum multò magis, vt pro nobis roget, deprecari poterimus. Spiritus autem Sanctus si nobis per os Prophetæ *Psal. 95. n. 5.* sic præcipiendo ait: *adorate scabellum pedum Dei:* rationem verò huiusmodi fiendæ reddens adorationis, eius præcisè determinantem dictum ait: *quoniam Sanctum est:* si ergo ex eo duntaxat, quod quid sanctum sit, etiam quod anima viuente careat, eo, quo decet potest adorari modo, ipsi quoque Sancti, eo, quo Sanctos decet poterunt adorari modo, quia & ipsi Sancti sunt, quod ad hoc ibi satis esse dicitur, verum etiam quoniam ex ipsius Dei sententia natura sunt excellentioris, & sublimioris status, gradus, & conditionis his, anima quæ carent *Sap. c. 15. n. 17. et 18. Mat. c. 23. n.17. 19. 20. 21. et 22.* nam si nulla auri ponderatio est digna continentis animam *Eccl. c. 26. n. 20.* & inter animam continentes nullus homine excellentior, & inter contentas animas nulla maior, & sublimior ipsa intellectiua, & immortali, qualis est anima hominis *Gen. c. p. n. 27. et 30. Iob c. 33. n. 30. Sap. c. 2. n. 23. Mat. c.6. n.25. et 26. Luc. c.12. n.23. et 24.* quam summoperè diligens Deus in ea etiam in hoc sæculo inhabitando sanctificare dignatur *Sap. c.11. n.27. Apost. p. ad Cor. c.3. n.16. et 17. c.6. n.19. et secunda ad eosdem c.6. num.16. Act. Apost. c.7. num.48.* in cœlisquè id multò magis vbi illa perfectioris est status gratiæ, & Sanctitatis, Angelisquè Dei similis in Christo perpetuò viuit, & permanet *Lucæ cap.7. num.28. cap.20. num. 36. et Mat. dicto cap. 11. num. 11. c. 22. num. 30. Io. c. 14. num. 20. Apost. p. ad Thess. c. 4. num. 15.*

Quod

Quod tamen sanè, vt præmissum est, intelligatur oportet, quia præter diuinam, & hypostaticā mediatoris summi, alia nulla per se simpliciter, vt illa est adoranda substantia, sineque idololatria, vt illa, adorari non potest: respectu verò alicuius relationis in ipsum præcisè terminantis Deum potest, quoniam in ea, ipsius quod est Dei adorantes, ipsum adorare dicimur, & adoramus Deum, propterea Spiritus Sanctus, vbi supra, scabellum pedùm Dei nobis adorandum proposuit: non vt substantiam illius Deum esse crederemus: credentes illi latriæ honorē præbentes idololatraremus; (vt stultè fecerunt Hebręi, qui vitulum aureum adorarunt, adorantes autem verum illum dicebant esse Deum, qui eos eduxerat de terra Aegypti *Exod.c.22.n.4. & 8.* Sicq; eos facere sibi persuasum habent, qui Sanctos sic, vt supra deprecantur, & adorant, à quo quantum aberrent ex antedictis, & infradicendis manifestissimè patet) sed illud adorandum nobis proposuit tamquam à Deo sanctificatum, quia qui adorat rem non prout per se res est, sed quatenus à Deo sancta effecta est, ipsum dicitur adorare Deū rem illam sua sanctam sanctitate reddentem: ibi propterea Spiritus Sanctus rationem reddens, cur scabellum illud adorandum esset, non dixit: Quia Deus vester est, sed dixit: quia sanctum est, ex cuius redditione rationis manifestissimè patet: Quod sanctitas hominibus à Deo impertita adorari meretur, & adoranda est, non quia ex hominibus, sed quia ex Deo est: Non ergo Petrum, & Paulum, quia ille Petrus, hic Paulus sit, adoramus, sed quia sancti sunt, idest propter sanctitatem ipsis à Deo impertitam, quam qui adorat ipsum, cuius illa est, adorat Deum, à quo in eos prouenit: Propterea *Leu. c.11. n.45. & c.20. n.8.* dicit Dominus: *vos Sancti eritis, quia ego Sanctus sum*, quasi diceret: quam vos habetis non vestra, sed mea est sanctitas, in quemque propterea à Deo translatam, qui adorat ipsum translatorem adorat Deum, cuius est illa verè, & à quo naturaliter procedit, & pendet. Nam quemadmodum per thronum, qui iurat Dei, & adorat illud: per Deum, qui sedet super illud iurasse, eumque adorasse dicitur ob huiusmodi relationem throni in ipsum præcisè terminantem Deū *Mat. d. c.23. n.22.* Sanctos sic qui adorat Dei, Deum adorasse dicitur in eos eius transfundentem Sanctitatem, & sua Sanctos eos reddentem Sanctitate *Mat. d. c. 23. n. 17. 18. 19. & 20.* & vt res ista magis clarescat, hæc quæ Dei propriè sit sanctitas declarandum

dum reliquum esset, & quamquam in ipso quidquid est Deo non Sanctum non esse dubitandum non sit, præcipuam tamen hanc eius Sanctitatem Sanctum eius Spiritum esse ambigendum non est, propter hoc eum in sacris inuenimus litteris Spiritum appellari Sanctum sanctificantem, & sanctificatorem nostrum, si ergo ita est: sanctitatem quisquis adorat, ipsum adorat Deum, quia Spiritus Sanctus ipse est Deus *Io. p. c. 5. n. 7.* idem propterea *B. Io. dicta p. c. 2 n. 29. & cap. 3. n. 7.* dicit: quod *iustitiam qui facit*, quam, & sanctimoniam appellamus, eò quod ab hoc in sanctos proueniat Spiritu sanctificante *Apost. ad Eph. c. p. n. 4. p. ad Thess. c. 4. n. 3. ad Heb. c. 12. n. 14. p. ad Cor. c. 12. n. 12. ad Rom. c. 8. n. 9. iustus est, sicut Deus ipse iustus est*, quia per huiusmodi operationem iustitiæ scimus Spiritum Sanctum Dei esse in illis huiusmodi operationem sic in ijs operantem iustitiæ, alioquin, vt Deus est, iusti esse non possent *Ezech. c. 11. n. 19. & 20. c. 36. n. 26. Apost. p. ad Cor. d. c. 12. n. 12.* Propterea idem *B. Io. d. eius p. c. 3. n. 24. & c. 4. n. 13.* dicit, quod *in hoc scimus, quoniam de Spiritu Dei manet in nobis, eius si mandata obseruemus*, quæ mandata, & iustitiæ dicuntur *Eccl. c. 24. n. 33.* & rursus *d. c. 2. n. 5.* dicit: quod *verbum Dei qui seruat in hoc verè Dei est charitas perfecta: charitas autem est ipse Deus. Idem d. c. 4. n. 7. 8. & 16.* non mirum ideo si Abraham ipso conspiciente populo terræ Heth coram Ephron adorauerit, & non idololatrauerit *Gen. c. 23. n. 12.* hanc quia in Ephron ei agrũ in sui sepulturam mortui gratis præbere volente resplendentem adorans Sanctitatem ipsum Dei adorabat Spiritum huiusmodi in illo operatorem sanctitatis: ex visibili enim sanctimoniæ opere operato Sanctum ibi inuisibilem Sanctitatis operatorem Dei ad fuisse conijciens spiritum, adorauit illum, quoniam ab hoc principali spiritu æterno Sanctitatis principio, omnis velut actus à propria procedit potentia, vniuersa effluat Sanctitas necesse est *Gen. c. 20. n. 6. Io. p. d. c. 3. n. 24. c. 4. n. 13. Leu. c. 11. n. 45.*

Nec nõ si ante occurrentem sibi Esau pronus in terram septies adorauerit Iacob, & non idololatrauerit *Gen. c. 33. n. 3.* quoniam in Domino charitatem cupiens charitate rependi, quę ex Deo est, adorans charitatem Deum adorabat, quoniam Deus est charitas. Ita & Dauid ante Ionathan pronus in terram eadem, & ipse ratione ter adorauit, & non idololatrauit *p. Reg. c. 20. n. 41.* Huiusmodi autẽ adorationis, & orationis correspectiuæ proportiones, & in-

& intentiones à quolibet adorante, & orante non exprimantur necesse est, quoniam in ipso cum sint corpore Ecclesiæ Sanctissimè explicitæ, & declaratæ, ab eius etiam quolibet membro simpliciter adorante, & orante implicitè secundum illius expressam regulatæ censentur esse mentem; & rectam adorandi, & orandi methodum, ab ea nisi deliberatè discederent, vt in similibus facere consueuerant Pharisæi *Mat. c. 23. n. 16. & sequentibus vsq; ad 23.* Beatus ideo Petrus optimus vt pastor, & Pontifex rectam ad Sanctos preces porrigendi volens nobis tradere methodum ea, quæ Sanctum decet, modestia, virum, eius in cœlo quale pro nobis apud Deum futurum esset exposuit patrocinium, vt ex eo à nobismet ipsis, nostræ quales ad Sanctos esse deberent, deduceremus deprecationes, eo quia ex correlatiuis cognito vno cognoscatur & alterum, eius propterea *Epist. 2. c. p. n. 15.* sic ait: *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horũ memoriam faciatis:* si ergo operam suam apud Deum pro nobis impendere pollicetur, vt à Deo in nostris inserta supplicationibus per eum porrigendis secundum diuinam obtineamus voluntatem, consequenter etiam non harum se largitorem fecit gratiarũ, non dominum se esse dixit, vt idololatrare nos faceret, sed patrocinij dumtaxat præstatorem, & nostrarum porrectorem supplicationum, vt eum communis Domini, & Dei nostri agnoscentes esse conseruum non erraremus, sed vt de eius confidentes præsumere valeremus charitate, quam amantissimè nobis in Christo in se sic alloquente pollicitus est. Sanctos igitur non vt Dominos, sed vt conseruos: non vt largitores, sed vt intercessores gratiarum rogemus, vt non erremus, oportet, quoniam hæc est recta, & tuta eos deprecandi, & venerandi via, quam nos Sancti docuerunt Apostoli vbiquè, & maximè *Act. Apost. c. 10. n. 25. & 26. Apoc. c. 19. n. 10. c. 22. n. 8. & 9.*

Et huius hæc sit nostri conclusio, terminus, & meta laboris ad Dei omnipotentis gloriam, cui sempiterna sit gratiarum actio, laus, honor, & imperium in æternum, & in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

Vidit D. Inuentius Tortus Pœnitentiarius, pro Eminentissimo, ac Reuerendissimo D. D. Hieronymo Boncompagno Archiepiscopo Bonon. & Princ.

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus de Garexio Sacræ Theologiæ Magist. & Vicar. Gener. S. Offic. Bonon.